F
122
.1
.A45

THE LIBRARY OF CONGRESS
1800

DISSERTATIO HISTORICO POLITICA

DE

NOVO BELGICO

COLONIA QUONDAM NOSTRATIUM.

DISSERTATIO HISTORICO POLITICA

DE

NOVO BELGIO

COLONIA QUONDAM NOSTRATIUM,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

PETRI HOFMANNI PEERLKAMP,

PHIL. THEOR. MAG. LIT. HUM. DOCT. ET PROF. ORD.,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS

AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

DEFENDET

DANIEL FRANCISCUS VAN ALPHEN,

LONDINENSIS.

AD DIEM XXIX JUNII MDCCCXXXVIII, HORA XII—I.

LUGDUNI-BATAVORUM,

APUD C. C. VAN DER HOEK,

MDCCCXXXVIII.

F122
.1
.A45

D 947

EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU.

PARENTIBUS

OPTIMIS CARISSIMIS

Sacrum.

CONSPECTUS OPERIS.

CAPUT I.

INITIA COLONIAE, NOVI BELGII.

CAPUT II.

DE PRIMA IMPERII FORMA NOVI BELGII HUJUSQUE COLONIAE CONDITIONE, USQUE AD EJUS AB ANGLIS FACTAM OCCUPATIONEM.

CAPUT III.

POSTREMA FATA COLONIAE.

Cette partie de l'Amérique Septentrionale, qui, si elle réussit à maintenir l'indépendance qu'elle s'est donnée pourra faire changer l'état politique du monde, et les intérets qui ont jusques à présent intrigué les nations de l'Europe, se nommait alors la *nouvelle Belgique*. LUZAC Richesse de la Hollande. Tom. II pag. 128.

CAPUT PRIMUM.

INITIA COLONIAE NOVI BELGII.

Quum anno 1608 agebatur de induciis cum Hispaniâ faciendis, societas Indiae Orientalis(1) metuere incipiebat, ne liberam navigationem ad Indias Orientales amitteret per viam scilicet Promontorii Bonae Spei. Aliam igitur viam invenire

(1) Vid. de hac Societate, LUZAC Rich. de la Hollande. T. I. p. 46—59 et p. 235—339. Cf. porro P. MEYER, Diss. Hist. Polit. de commercio et administrationis forma Possessionum Batavarum in India Orientali. Lugd. Bat. 1832.

volebat. Quam viam quum ad Aquilonem Europae et Asiae non adesse putarent, constituerunt eam quaerere ad caurum Americae versus. Apparabant igitur navem quandam, cui nomen Semiluna erat, eique praefecerunt Anglum, Henricum Hudsonem (1).

Hic (2) die 6 m. Martii a. 1609 profectus est,

---

(1) Vid. LUZAC, l. l. Tom. I. pag. 271 sq., 288, 316, et BILDERDIJK, Aanteekeningen op de Geuzen van VAN HAREN, T. II. p. 181 sq. et WAGENAAR, Hist. T. X. pag. 7.

(2) Plures scriptores Angli, laudati a GRAHAME, Hist. of America, T. II. l. 2. c. 1. p. 189 hoc Hudsoni iter non tribuunt Societati Indiae Orientalis, verum Societati cuidam Anglicae, illudque anno 1608 factum esse scribunt.

Dicunt etiam Novum Belgium a Belgis pecuniâ emtam esse; cet. In eosdem errores et Belgici scriptores inciderunt; uti v. c. Tegenwoordige Staat van alle Volken. T. XXXII. p. 668, alii, quos omnes nominare longum esset. — Alii contra, quibus major fides est habenda, uti DE LAET, qui et ipse unus e Gubernatoribus fuit Societatis Indiae Occidentalis, v. MEETEREN, Nederl. Hist. L. XXXI. f. 590 vers. v. D. DONCK, beschrijving van Nieuw-Nederl. p. 2 seq. Hudsoni iter auspiciis Societatis Indiae Orientalis Belgicae non Anglicae cujusdam neque anno 1608 sed 1609 factum

ab insula Texel et appulit, eo transitu frustra quaesito, ad promontorium *Cod.* Inde ad occasum cursum dirigens juxta littus Americae Septentrionalis detegit gradu quadragesimo latitudinis Borealis sinum, qui ab ipso nomen sinus Hudsonei accepit. Flumen postea a nostratibus dictum septentrionale (de Noord-rivier), quod in eum sinum effluebat, nave expertus est, et regioni ei nomen dedit Novi Belgii (1).

---

scribunt. Moti horum auctoritate nec non instrumentorum, uti diarii Societatis Indiae Occidentalis, quibus illi usi sunt, et rationibus, quibus GRAHAME eorum sententiam defendit, non dubitavimus eam amplecti.

(1) Variae sunt sententiae de Novo Belgio detecto. Memoratu dignum est, fuisse qui statuerent eam regionem jam prius, idque anno 1514, a monacho quodam Franciscano, nomine Verrazano, detectam fuisse. Vidd. Collections of the New-York Society. V. I. p. 19—60. V. D. DONCK contendit Belgas primum Europae populum fuisse, qui eo venerunt. Cf. l. l. p. 3. Scriptor Anglicus BURKE neque illi neque huic sententiae favet, ait enim in opere, cui titulus: Histoire des Colonies Europ. en Amérique, T. VII. ch. 8. p. 207. »On ignore en »quel temps les Suédois et les Hollandais s'établirent »pour la première fois dans l'Amérique Septentrionale;

Eam regionem novae coloniae aptam videns, decrevit Hudsonus in Hollandiam reverti, et societati Indiae Orientalis itineris reddere rationes.

Seditione nautarum, qui maximam partem Angli erant, coactus est appellere ad portum Darmouth. Inde brevi detectae illius regionis rumor Londinum venit atque effecit, ut diu ei venia abeundi Amstelodamum negaretur, donec tandem initio anni 1610 eo proficisci ei permissum est.

Gubernatoribus societatibus Indiae Orientalis ejus nuntius ita erat gratus, ut facile se consolati sint ob transitum illum non repertum. Novum enim Belgium erat, secundum Hudsonum, quamquam incultum adhuc, tamen una omnium pulcherrima regio. Solum undique tectum erat sylvis immensis multisque paludibus. Incolebatur ab hominibus agrestibus. Pretiosissimas pelles produce-

---

»mais il est certain que leur colonie est posterieure à »nôtre etablissement de la Virginie et antérieure à celui »de la Nouvelle Angleterre." cet. Minime negligenda est et hoc loco sententia GRAHAMI l. l. L. V. p. 188. Inter tot tamque discrepantes sententias judicium ferre peritioribus relinquimus.

bat, e quarum venditione maxima sibi lucra sperare poterant coloni, quum sylvae navium aedificationi largum praeberent subsidium. Terra, quae ubique valde foecunda erat, non tantum proferebat optimum frumentum Indicum, sed et bonas uvas aliarumque arborum fructus. Piscibus abundabant flumina, uti et maria vicina, in primis morhuis (kabeljaauwen), thynnis (tonynen) et balaenis. Haec igitur variis ex causis felix regio, quam rudis quidem sed placidus et comis populus incolebat, cujusque clima non multum a patrio distabat, tot tantisque gaudebat commodis, ut Belgis cognita abesse non posset, quin ab iis coloniis frequentaretur (1).

Laeto animo hic Hudsoni nuntius in patria excipiebatur. Quumque igitur ejus veritas aliis itineribus probata erat, societas nonnullorum mercatorum Belgicorum d. 27 m. Martii a. 1614 ab Ordinibus Generalibus decretum (octrooi) impetravit, ex quo cum alia commoda tum et privi-

(1) Vid. DE LAET, l. l. p. 102—104.

legium concedebatur, ut, exclusis ceteris omnibus, quatuor itinera in eam regionem iis facere liceret (1).

Primi, qui hoc beneficio donati expeditionem in novum Belgium fecerunt, fuerunt Hendrik Christiaense, Adriaan Blok, alii. Eodem nempe anno 1614 hi occupare incipiebant parvum quendam tractum ad occasum fluminis Hudsonei, ubi munitionem quandam fecerunt; cui praefecerunt Christiaense (2).

Vix prima colonia eo deducta erat, vix convenerant coloni cum incolis de pellibus praebendis, quin anno 1624 invaderent eam munitionem milites Angli, duce Virginiae Gubernatore Argal. Hic enim, contendens Belgas injuriâ hanc terram occupasse, quippe quae esset in dominio regni Angliae, ut munitio ei traderetur a Christiaensio, petebat (3). Hic duci Anglorum impar, tra-

(1) Grahame, T. 2. p. 190.

(2) Grahame, l. l. T. l. p. 190.

(3) Injusta haec petitio adversus jus Belgarum nihil probat. Nec enim in eos neque in Francos talia facere Britannis licebat sine juris violatione. Summum etiam Britanniae

debat eam, atque submittebat se Virginiae Gubernatori et Angliae imperium agnoscebat.

Foederati autem Belgii libertas quum brevi ante auxilio in primis Angliae, ait GRAHAME (1), confirmata atque agnita esset, Ordines Generales abstinebant se ab hac injuria ulciscenda, eamque ob causam bellum gerendo cum potentissima gente, cujus auxilio quotidie indigebant. Hoc certe constat, Ordines Generales ejus, quod Argal fecit, nullam rationem habuisse.

Accedit, ait GRAHAME (2), quod plures scriptores Angli memorant, Belgas eo tempore a Jacobo I, rege Angliae, petiisse atque impetravisse, ut sibi liceret in favorem sui commercii quaedam loca ejus territorii occupare sibique habere: inter quae igitur et novum Belgium fuisse

---

Imperantem id, quod Argal fecit, improbasse documento est, quod sequente anno in Angliam revocatus atque ab ejus munere remotus est. Cf. het Brit. rijk in America, p. 184.

(1) l. l. p. 191.

(2) l. l. p. 191 in fine

conjici potest. Quidquid autem horum sit, sic pergit GRAHAME, hoc constat, anno sequente (1625) Belgas eo novum misisse Gubernatorem Belgicum, cui nomen Jacob Helkens, cum majore numero colonorum. Novus hic Gubernator eo quum venisset, non tantum fictum illud Anglorum dominium agnoscere sed et tributum ibi Belgis impositum solvere noluit: utrumque bono cum effectu, ut videtur (1).

Languebat tamen colonia propter defectum sortium ad institutam usque anno 1621 societatem Indiae Occidentalis (2). Ab hoc autem tempore inde magis florere coepit. Operae pretium igitur erit paucis videre, quomodo ea societas hanc coloniam ad tantum florem evexerit.

Tradi eam sibi coloniam curavit; aliaque loca ad os fluminis septentrionalis emebat, uti insulas, het Staten-eiland, Pavorica, Manahattan

---

(1) l. l. p. 191. seqq.

(2) Vid. LUZAC l. l. p. 59—63. Conf. porro ROB. SOUTHEY, Hist. of Brasil p. I. c. 14. p. 476 sqq. et GRAHAME l. l. Vol. II. l. 5. p. 192.

et Hoboken, cui postea addidit tractum quendam terrae, vocatum het Zwanendaal, qui situs erat ad flumen meridionale (de Zuid-rivier hodie *the Delaware*) prope promontorium, dictum Hinloopen. Aedificabant paullo magis ad septentrionem sed ad idem flumen castellum quoddam quod nominaverunt fort *Nassau.* In insula etiam Manahattan, quae formatur a duobus fluminis Septentrionalis bracchiis, non longe ab hujus ore, aedificari curaverunt, duce eodem Christiaense, de quo supra locuti sumus, aliud castellum dictum, fort *Amsterdam.* Brevi tamen hoc in modum oppidi excrevit, unde postea nomen accepit *Nieuw-Amsterdam.* Praeclarus admodum hujus oppidi ad mercaturam situs erat. Narrat enim MONTANUS (1), hoc oppidum quinque tantum milliaria a mari abfuisse navesque uno maris accessu et recessu eo venire potuisse (2).

---

(1) In opere, cui titulus: De nieuwe of onbekende Wereld. L. II. c. 3. p. 123 seqq.

(2) Idem et hodie ita est. Nam urbs New-York eodem loco sita est ac ante Nieuw-Amsterdam.

In commodum commercii pellium societas ab incolis emebat magnum terrae tractum ad occasum fluminis Septentrionalis, centum et septuaginta milliaria a coloniae metropoli distantem. Ibi castellum aedificaverunt, dictum fort Oranje postea Albany: et brevi post ad meridiem hujus castelli condiderunt *de kolonie van Renselaarswijk.* Tota enim haec regio trans gradum quadragesimum aeque ac Russia Septentrionalis ditissima est variis animalibus pellitis, quarum captura magno lucro fuit societatibus *Anglicis sinus Hudsonei* et *Cauricae.* Ut igitur non Russia tantum sed et ipsi hoc commercio lucrarentur, tam longe penetrabant in regionem, in qua propter raros incolas, horum animalium magna copia erat.

Hoc jam loco valde lucrosa permutatio fiebat inter Belgas et eam incolarum gentem, quae Iroquezen dicta jam cum Francis bellum gerebat. Loco harum pellium his dabantur pulvis pyrius, sclopeta aliaque arma Europaea aliaeque res minoris momenti, sed in primis spiritus vini.

Si fidem habere licet auctori supra dicto de

LAET (1), *societas Indiae Occidentalis* inde ab anno 1621 continuo colonias deduxit in Novum Belgium. Emerat enim insuper *longam*, quae dicitur, *Insulam*, quae flumine Orientali (de Oostrivier) a continente separata et vicina ori fluminis Septentrionalis (inter gradum 72 et 74 longitudinis occidentalis a Londino) propter ejus foecunditatem magnos societati tulit fructus. Eâ emptâ, videtur societas sedes coloniarum magis posuisse in littore: uti patet e nominibus locorum ibi sitorum, uti sunt: *Nieuw-Utrecht*, *Vlissingen*, *Breukelen*, *Amersfoort*, *Heemstede*, alia. Quibus tamen annis diversa haec loca incolas acceperunt apud nullum scriptorem invenimus; affirmare tamen non dubitamus, hoc fuisse factum intra 1623-1633, quando regio, quae vocatur Connecticut, emebatur, quae emtio ibi ultima erat. Sita est ad occasum fluminis, dicti de Versche rivier, viginta milliaria a littore maris, pertinetque ad pulcherrimas ac foecundissimas Ame-

(1) l. l. p. 109.

ricae Septentrionalis regiones. Ad hanc regionem muniendam Gubernator ille aedificari jussit ad occasum ejus fluminis castellum, cui nomen dedit *Bonae spei.*

Egimus jam de variis locis, in quibus se collocarunt coloni Belgae. In his vero, quae aut occupando aut emendo sua fecerunt, una est, cujus nullam fecimus mentionem, nempe New-Yersey. De hâc igitur, quatenus pertinet ad Novum Belgium, sequentia dicenda habemus. New-Yersey primum a Suedis occupata est; quonam vero anno incertum est, sed tamen Gustavo Adolpho rege. Haec jam Suedorum colonia post mortem ejus regis suis viribus relicta, (quia Suedia totam se dederat gravissimo illi bello triginta annorum in Germaniâ) commisit sese Gubernationi Novi Belgii, atque ab eo inde tempore huic annumerata est (1). Huic coloniae magnum ex ea conjunctione nascebatur lucrum propter pellium com-

(1) Quae autem huic submissioni Suedorum ansam dederunt suo loco (c. 2) tractabuntur.

mercium quod eo modo ei cum ceteris commune fiebat, neque Belgae habebant quod quererentur; quia inde domini fiebant et magni terrae tractus et oris illius fluminis Meridionalis sive Delaware, uti et castellorum *Kasimir*, *Helsingborg*, *Nieuw-Wasa*, *Gripsholm* et *Nieuw-Gothenburg*.

Tandem, antequam huic capiti finem imponimus, pauca dicenda credimus de Novi Belgii finibus et amplitudine. Extendebat se anno 1633 Novum Belgium a flumine dicto *de Versche* of *Connecticut-rivier*, sive a gradu 72½ longitudinis a Londino usque ad 75½, et latitudine a gradu 39 usque ad 42½. Complectebatur hodiernas civitates *New-York*, *Connecticut*, *New-Yersey*, partem Delaware et Pensylvaniae (1). Ejus latitudo erat viginti milliariorum et longitudo centum et viginti.

---

(1) Conf. tabula Geographica Americae confecta ab Arrow Smith, et ea, quae invenitur apud V. D. DONCK in ejus opere. MONTANUS et DE LAET quoque suo operi praefixerunt tabulam, quae conferri meretur.

CAPUT SECUNDUM.

DE PRIMA IMPERII FORMA NOVI-BELGII HUJUSQUE COLONIAE CONDITIONE USQUE AD EJUS AB ANGLIS FACTAM OCCUPATIONEM.

De prima Novi-Belgii imperii formâ lex est anni 1629; quae (1) quasdam refert regulas, tum ordinationis cum gubernationis, ab Ordinibus Generalibus statutas, quibus a colonis in regionibus illis obtemperandum esset; cum

(1) Gr. Plak. boek T. 2. p. 1235.

interdum, (uti ibi legimus), Indiae Occident. societatis subdivisionibus ab Ord. Gen. concessum esset, concilium e novem personis constituere, quibus illius coloniae regimen deferendum esset. Quanta autem cura successui consulere conati sunt, optime patet ex iis, quae hoc loco constituerunt sub titulo: »*Vrijheden en exemtien voor de Patronen, Meesters en Particulieren, die op Nieuw-Nederland eenige colonien of vee zullen planten.*

Praecipuae regulae ad sequentes reduci possunt.

Colonis pro quoque flumine vel insulâ, unum delegatum in Novi Belgii Gubernatoris et consiliariorum senatum mittere licebat. Omnino hoc memoratu dignum, cum quidem nullae aliae Belgarum coloniae tali regiminis forma usae fuerint (1).

Praeter pellium commercium, societas Ind. Occid. sibi reservaverat insulam Manahattan, cum

---

(1) Vid. Gr. Plak. boek part. 1. p. 599. Cf. porro SOUTHEY op. l. part. I. C. 14.

ad eam colendam, tum in primis ad eam mercium videlicet mercaturam faciendam; porro liceret colonis sedes suas collocare per littora maris vel per flumen quoddam navigabile quatuor quidem per leucas (1), ab utraque vero parte (maris vel fluminis) duas tantum per leucas liceret; modo incolis soli, quod occuparent, pretium praestarent.

Colonis liceret navigare per totum littus, sc. a Florida usque ad ita dictam Terre Neuve; modo merces importarent in insulam Manahattan, solverentque 5% pro earum recognitione.

Tota denique Novi Belgii maris littora illis ad asellos piscandos paterent, modo captos in Italiam afferrent, societatique Ind. Occ. idcirco 6 florenos per mensuram, Belgice *last* vocatam, solverent.

Intra regiminis (octrooi) terminos naves hostiles si caperent, eas in patriam adducerent, unde tamen duas tertias partes pretii acciperent.

---

(1) Nempe *Belgicas* vel 2,000 passuum.

Hisce regulis a societate supr. dicta ad mercatorum et colonorum aemulationem ordinatis, aliam jungebant Ordines Generales. Cum Illi scil. a 1633 ordinationem et instructionem promulgarent, secundum quas omnibus ad bellum instructis navibus (Belgice Kommissievaarders) intra regiminis (octrooi) societatis terminos navigare liceret: expresse ab his (regulis) ordines excludebant, littora Africae, Novi Belgii, et omnium aliarum regionem ubi ipsa societas negotiaretur (1).

Delineata vero a nobis imperii forma, qua variae in capite praecedente memoratae Novi Belgii regiones usae sunt, paullatim retroire nobis necesse est, ut ea nempe narremus, quae nostrorum majorum dissensionibus primo cum Virginiae, postremo cum Novae Angliae et Novae Sueciae, (New-Yersey) colonis, potissimum ansam dederunt, quaeque tandem inter causas fuerunt, quibus hae coloniae Anglorum dominio subesse coeperint.

---

(1) Vid. coll. l. p. l. p. l.

Angli jam anno 1584 Virginiam ad Apricum Novi Belgii detexerunt, eamque anno 1607 occuparunt.

Apud ROBERTSONUM (1) invenimus quosdam fuisse anno 1620 Anglos, qui ut effugerent ecclesiae Anglicae episcopalis disciplinam, sese primum in Provincias Unitas (Reip. Bat.) contulerunt; cum vero eorum religio illis liberalior videretur, in Americam profecti sunt, quam eos habitare Angliae Rex Jacobus I pateretur (2).

Eorum propositum primo fuisse videtur ut in Novi Belgii colonorum vicinitate, et quidem ad flumen HUDSONEUM sedes suas collocarent; sed forte magis Aquilonem versus adducti sunt, atque ad promontorium Cod. dictum appulerunt; ibi autem sibi propriam — (in plerisque enim coloniis hoc jure usos fuisse certe non dici potest) — coloniam ab illis Novam Angliam nominatam fundaverunt, et paullo post in ea vel proprie in re-

---

(1) ROBERTSON hist. af. Am. L. V. p. 129.

(2) De doctrinâ eorum hominum Puritanorum dict. Vid. auctoris Angli Neal hist. of the Puritans T. 1. c. 6, et HUME hist. of Gr. Brit. T. V. p. 155 seqq.

gione New-Hampshire dicta urbem New-Plymouth condiderunt (1).

Altera consociatio anno 1629 venit, habitavitque magis ad Austrum sitam regionem Massachusetts. Mox apparebit, hospitalitatem his videlicet piis hominibus in Republicâ Batavâ praebitam, ab illis omnino indigne remuneratam fuisse; sed praeterea, Belgarum regiones invadentes quam maxime in eas hos penetrasse, mox factis ipsis ostendemus.

Anglorum colonorum historiam porro si inquiramus, concordiam, — inter illos jam ratione religionis in plures sectas divisos, — non diu stetisse invenimus. Refert enim a nobis l. l. ROBERTSON ex. gr. de duorum religionis in urbe Salem (Massachusetts) ministrorum tam gravibus dissensionibus, ut unus eorum HOOKER dictus coactus fuerit, anno 1633 cum totâ ejus sectâ ex urbe decedere. Hi tum regionem Con-

(1) Vid. ROBERTS., l. op. T. V. p. 184. Porro vid. GRAHAME, (op. l. T. II. c. V. p. 192), qui non casui, sed maligno consilio, causam adscribit, unde res in textu relata ita evenerit.

necticut et ita dictas Plantationes Novi Belgii petierunt; hi igitur Salemenses nec priora jura Novi Belgii colonorum curabant, nec etiam locum extra terminos coloniae Massachusetts situm esse, sed ad ripam Occidentalem fluminis magni d. *Groote Rivier* in regione Connecticut habitare coeperunt. In loco deinde valde opportuno, et nonnullas leucas a Belgicâ arce *Goede Hoop* d. distante, urbem aedificaverunt (ab illis) Hartfort dictam, quaeque (urbs) postea Connecticutis coloniae caput fuit. Tam prosperis rebus elati, et fortasse Cromweli — cum coloniae proceribus agentis (1) — consilio ducti, simulare desierunt et pristinum coloniae consilium sive verum sive fictum a se abjicientes, propriam sibi assumunt imperii formam. Majore denique numero nixi, Belgas magis magisque urgent. Ad flumen ita d. *Versche rivier* arcem erigunt *the Tamhertfort* dictum, ad plantationem ab Orientali parte defendendam. Interim versus Occidentem usque ad fluctum cui nomen *Greenwich* est extenderant:

(1) Idem p. 200.

ita adeo ut Puritani Salemenses mox non amplius quam octo leucas a Novi-Belgii capite distarent.

Ipsa *insula longa* (*het Langen eiland*), a flumine Orientali a continente separata, et sine dubio a Belgis primum detecta et habitata, imo (uti ab illis affirmatur) ab incolis (primitivis) emta et variis Belgicis pagis arcibusque ornata — omnino frugifera, et nonnullis bonis portibus instructa erat.

Non mirum igitur quod loci situs tam opportunus, tamque piscatui favens, Anglis numero quam maxime accrescentibus, valde arrideret. Nonnulli quoque extemplo sedes suas in Orientali insulae parte collocarunt, et quidem in duobus pagis Southampton et Southhold, quam ob causam deinde dimidiam insulae partem sibi arrogaverunt.

Mox sese conjunxerunt in quaedam corpora, quatuor praecipuae coloniae sc. Boston et New-Plymouth in Massachusetts, et New-Haven et Hartfort in Connecticut, quae corpora, anno 1643, inter se foedus conjunctionis fecerunt Foedus

autem hoc inter has colonias factum, Reipublicae Provinciarum Unitarum Americae Sept. primum fuisse fundamentum nemo ignorat.

Sed cum a nostro argumento alienum sit huic rei longius subsistere, redeamus ad Anglorum et Belgarum mutatam inter se conditionem, nec non ad ortas dissensiones. Primo vero videamus quomodo nostrates invasionibus Anglorum injustis restiterunt.

Prope finem administrationis primi Gubernatoris (1) (in 1629 autem VAN TWILLER Amstelodami officium suum susceperat), accidit Anglorum colonorum in nostras colonias penetratio vel potius terminorum extensio ex regione Massachusetts sc. in Connecticutis territorium; huic rei (ait porro GRAHAME, op. l. p. l.) non aliter se opposuit Gubernator, nisi (anno 1636) vana protestatione facta ejus nomine a certo quodam van Curlet.

Successit illi (VAN TWILLER) anno sequente

---

(1) GRAHAME, op. l. t. L. V. p. 196.

WILHELMUS KIEFT, vir audax quidem et ingenio praestanti sed indole iracunda et imperiosâ, praesertim in agendo infelix, et magis proprius ad — commotionum cohorti in Belgarum possessiones mox ubique irruenti — strenue obviam eundum quam prudenter resistendum. Hi coloni postea fortunae vicissitudines experti sunt, eorumque historia per multos annos fere nihil aliud refert, nisis pugnarum et dissensionum eorum cum Anglis, Suedis et Indis enumerationem. Gubernator KIEFT eodem modo administrationem anno 1638 incepit ac decessor ei finem imposuit, protestatione nempe facta contra colonias Anglorum in dies augentes in Connecticute et New-haven, et Anglis negotiandi prohibitione in vicinitate nempe arcis *Goede Hoop* edicenda.

Sed, quamvis Angli Connecticutis incolae (qui initio, tum proximitatis cum jurium Belgarum ignari, in hoc territorium profecti erant) primum metu ingenii et vigoris Gubernatoris quo dammodo excitati essent: tamen, mox convicti,

quod hic nullum haberet ex primâ occupatione titulum in regione ex quâ animus illi esset eos excludere, et aliarum Novae Angliae coloniarum auxilii promissis excitati, Gubernatorem contemserunt, et colonias non modo non reliquerunt, sed et praesidio Belgico ex arce *Goede Hoop* expulso, hanc in suum dominium redigerunt. Quae vero causa fuerit quare huic aggressioni nostrates non quo decebat vigore restiterint, incertum est: et ignoramus utrum fuerit praesidium copiis arcem aggredientibus nimis impar, — an utrum causa (ut ait GRAHAME, op. l. l. p. 197.) potius quaerenda sit in longo otio, quod Novi Belgii incolas nomini dissimiles reddidisset, — an in conscientia se etiam nullo jure plures regiones occupasse. Quod ad priores allatas causas — eas verisimiliores credimus; praesertim si postremam auct. l. opinionem indaganus, eam non factis confirmatam fuisse invenimus. Nam cum paullo post Angli *insulae Longae* ripae tantum Orientalem partem occupabant — (in cap. autem praecedente ostendimus

Anglos in eâ insulâ non meliore jure usos fuisse quam in aliis possessionibus) — etiam Occidentalem partem inhabitare coepissent, extemplo et quidem a. 1641 inde expellebantur a Gub. KIEFT, qui eos ad aliam insulae partem removit, ubi (uti in p. 8 monuimus) urbem Southamptonem condiderunt, efficiebantque quasi partem Connecticutis, usque ad ejus cum provinciâ New-York conjunctionem — post Novi Belgii dominium in Americâ Septentrionali interitum. Nec non minus fortem se eodem anno praestitit KIEFT, duobus sc. armatis naviculis (Anglice sloops) quas misit contra nonnullas Anglos qui ex eorum coloniâ in regione *Maryland* dicta in territorium Delawareana penetraverant, (quam regionem totam nostrates suam habebant, nec ut auct. l. dixit, op. l. p. 199. — donationi Baltimorio a CAROLO I factae inerat.

Migrantes vero hi ex regione *Maryland*, contra quos haec expeditio fiebat, cum numero exsigui essent, et certe ad hanc possessionis eorum aggressionem non se praeparassent, facile ex regione

s. d. a KIEFTIO expellebantur. Sed in aliâ Delawariensis regionis parte, adhuc aliud et a reliquis colonis diversum genus remanserat, Suedorum nempe: cui (generi) licet ei nullus omnino prioris dominii legalis esset titulus in territorum quod occuparent; — regio vero ipsa majori illis fuit auxilio, quam Anglis jus primae occupationis. De Suedis autem — (de quibus nonnulla jam in fine cap. praeced. memoravimus) — haec tantum de prioribus eorum cum Novi Belgii colonis dissensionibus referenda habemus, cum demum post dissensionum nostratium cum aliis colonis relationem, de eorum (Suedorum) coloniae cum Novo Belgio conjunctione mentionem faciemus.

Inter prima KIEFTII facta, protestatio illius fuit contra Suedorum usurpationem; sed frustra eorum remotionem urgebat ex territorio, quod populares sanguine suo emerant. — Sed cum hoc (territorium) eodem sanguinis pretio redimendi mentem non declararent Belgae; Suedi hujus Gubernatoris potestate contemta, illius

oppositionem parvi duxerunt. Porro bellum (sin ita quidem dici potest) plures per annos inter hosce colonos gestum, quamquam sine sanguinis effusione. Anno 1640 STOCKHOLMI de pace tractantes, Suedia et Resp. Prov. Un. nullam mentionem neque earum coloniarum, nec territorii ab utrisque in America occupati, fieri voluerunt, atque igitur reliquerunt harum duarum coloniarum lites iis ipsis decidendas, quâ ex re in talem conditionem redactae sunt hae coloniae, ut inter eas adesse pax quidem diceretur, bello tamen in plurimis similis esset. Nequidem hi coloni per multos annos boni vicini remanserunt (1).

Graves interea dissensiones ortae erant inter Novi Belgii Directorem ac consiliarios, et Pr. Un. Bostonis, ita dict. regionis Newhaven et Hartfortis regimini praepositos (kommissarissen); quae dissensiones tum e finium constitutione, cum e civium privatis inter se laesionibus (2) ortae, eo

---

(1) Cf. GRAHAME, op. l. p. 200. Vid. porro SMITH's, hist. of New-Yersey. 1. 199.

(2) *Laesionibus*, quales fuerint docet GRAHAME op. l. c. l. p. 201.

perductae erant, ut jure metuendum esset ne in bellum apertum transirent.

Itaque jam anno 1650, rem finium, constitutione meliore componere nixus est Gubernator PETRUS STUYVESANDUS (1); profectus igitur est ad universalem Anglarum coloniarum Hartforti conscriptam concionem; hic autem statuerunt se totam rem diremturos altero Amstelodami habendo conventu, ubi finium lis, licet in Belgarum damnum, tandem definita est. Ambae fluminis *ita d. versche rivier*, in Anglorum possessione remanerent. Haec conventio ab harum coloniarum summis Imperantibus confirmanda erat, quod tamen, bello interea cum Angliâ anno 1652 orto, non factum est; quo durante (bello) in Americâ hostili modo nihil gestum esse videtur. Legati, videlicet qui pacem facerent, deinde, ut quoque de dictis rebus hostilibus agerent, in Angliâ remanserunt; Anglis interdum

---

(2) Hic anno 1647 KIEFTIO in Novi Belgii administratione successerat, Vid. auct. l. c. l. p. 203.

ut legatus V. BEVERNINGK vere dicit, usque ad octo leucas a flumine ita d. Noord-rivier *prore pentibus* (1).

Anglis a Belges optio dabatur, utrum rem in *Europa*, an in *America*, utrâque republicâ eam rem cavente atque confirmante, absolverent. Sed nullam se Belgarum possessionem vel priorem limitum divisionem agnoscere profitebantur Angli; et anno demum 1656, ab illis limitum definitio constituta est.

Interim facultatum inopiâ coacta, societatis (cui ab Ind. Occ. nomen erat) Amstelodamensis sectio, apud quam hujus rei consilium erat (2), partem coloniae huic urbi cessit, atque ita revera anno 1656, regio intra flumina ita dicta meridionale (*de Zuid*) et Septentrionale (*de Noord* rivier) (regio sc. hodie *New Yersey* dicta et New York ab occidentale HUDSONEI fluminis parte sita, dictae urbi tradita est.

---

(1) Vid. narratio legati V. BEVERNINGK p. 191.

(2) Limitum sc. definitio.

Paullo ante dissensiones nostratium cum Suedis memoravimus; *ea breviter* narrare pergamus, quae territorii eorum cum Novo Belgio conjunctioni ansam dederunt. Conditionem autem in qua eos nuperrime reliquimus (p. 13), omnino mutatam invenimus. Quemadmodum autem bellum Belgarum cum Suedis, KIEFTIO Gubernante paci aliquatenus similis fuerat, sic pax id insecuta, bello non dissimilis fuit. STUYVESANDUS autem, ut Suedis magis magisque terminos extendentibus metum incuteret, in loco tum *Nieuw-Amstel* post *New-Castle* dicto arcem condiderat. Ira Suedorum hoc facto excitata, paullo post dicta arx, cujusdam Gubernatoris RHISINGH arte capta, et postea in honorem Suediae Reginae *Christina* appellata est; quae denique arx, a STUYVESANDO recepta cum parvâ manu

---

(1) Ind. Occ. Societas in ea tunc conditione erat, ut Gubernatori copias suppeditare non posset: parva manus vero, (de quo in textu sermo est), illi ab urbe Amstelodamensi praebita est. Cf. GRAHAME. opl. p. 207-209.

fuit (1). Reliquae arces non diu post (anno 1655) quoque ab hoste traditae sunt, et Provincia *New-Yersey* Novi Belgii deinde pars facta est.

CAPUT TERTIUM.

POSTREMA FATA NOVI BELGII.

Angli interim noluerunt Novum Belgium, ut coloniam nostrius reipublicae, agnoscere: quum negarent regem Angliae jus suum in illos transtulisse aut ei renunciasse. Quum igitur in pagum HARTFORT dictum convenerant, multa poscebant, et luce clarius jam eorum apparebat propositum, Novum Belgium vel vi quidem si opus esset invadendi. Duobus pagis ut a Belgis deficerent persuaserunt; duoqne pagi in insula

dicta *longa* siti, sc. s'Gravesande et Heemstede imperio Angliae Regis se submiserunt. Quum autem ad defectionem pagum Vlissingen (quamvis maximam partem ab Anglis incoleretur) ducere non potuerant, vi eum agressi sunt.

Dubitari nequit quin si res militaris in Coloniâ melius constituta fuisset, Anglorum colonorum migrationes in regiones a nobis occupatas, non eodem successu essent factae, dissensiones Anglorum cum nostratibus non semper in horum damnum compositae, horum pagorum porro seditiones melius et facilius ab imperio Novi Belgii comprimi potuissent; ac demum Angli a coloniae invasione certo destitissent.

Sed quatuor tantum arces majores nonnullaeque minores a societate Ind. Occ. in Novo Belgio conservari potuerunt: priores arces dictae erant: *Nieuw Amstel* ad fluminis septentrionalis vel HUDSONEI ostium situm. *Nassau* ad flumen Meridionale the (Delaware) *Oranje* (postea *Albany* dicta) ad fluminis septentrionalis superiorem partem in vico dicto *Renselaarswijk* et Goede

Hoop ad flumen dict. Versche Rivier (1) (sita). Novo Belgio ad eam conditionem redacto quaedam praeterea accidunt, quae invasioni s. l. ansam dederunt.

Ordines autem Generales Foederati Belgii quibus (anno 1660) nihil tam cordi erat, quam pacis cum Anglis conservatio, instrumentum illud publicum quo jam anno 1620 societati Indiae occidentalis Novi Belgii dominium concesserant, STUYVESANDO dare recusaverunt (1).

Accedebat quod Dux Eboraci (York) qui praeerat societati Africanae, hujus commercium a Belgis impeditum inveniebat. Hanc igitur ob causam, territorium ab illis occupatum titulo donationis, Dux ille a Carolo fratre impetravit, rationem validiorem afferens, illam regionem ad Angliam pertinentem, a Belgis injuria occupatam esse (1).

---

(1) Conf. ad GRAH. op l. c. l. p. 211 in annotatione. — Vid. porro SOUTHEY hist. of Brasil. part. I.

(2) Cf. ad GRAH. op. l. p. 191.

(3) Cf. idem op. l. p. 214.

Carolus Rex interea, cui nulla justa cum Republica bellandi causa erat, statim hoc Anglorum jus omni vi tueri decrevit, ut eo modo causa bellandi tam diligenter ab illo quaesita, facillime fieret. Hanc ob causam, anno 1664 Duci Eboraci regalis possessionis titulus oblatus fuit, totius Belgicae regionis donationem contineus; et in illum Principem omnem tam civilem quam militarem potestatem inhisce regionibus conferens. Eboraci Dux, hac donatione acceptâ, non dubitavit statim illius possessionem petere, et tota regionis parte quâ continetur provincia *New-Yersey*, curae duorum virorum Berkelei et Carteritis commissa, sese ut dominum gerere incepit.

Hisce auditis, STUYVESANDUS ejus rei certiorem reddidit Ind. Occ. societatem eique, ut statim copias mitteret, quam maxime petiit. Illi tamen nihil misit societas, nisi ipsum donationis instrumentum ab Ordinibus generalibus factae, quod ante frustra rogaverat.

Militum Anglorum ad hanc expeditionem comparatorum praefectus, ab urbe Boston, ubi coacti

erant, classe versus praecipuam Belgarum arcem cursum direxit.

STUYVESANDUS, postquam a praefecto Anglo urbem tradere jubebatur, quantum potuit conatus est hanc calamitatem a Novo Belgio avertere. Ostendit igitur Anglis donationis ab ordinibus generalibus factae instrumentum, uti et foederis cum Anglis anno 1650 icti, quo quasi tacite jus Batavorum agnitum erat. Sed frustra, et STUYVESANDUS tandem coactus est urbem Nicholi tradere.

Ex traditione eâ incolis liceret possessiones vendere et reverti in patriam, vel (possessiones) retinere et in coloniâ remanere. Remanentibus porro, omnibus veteribus consuetudinibus quoad succedendi rationem, conscientiae libertatem et perpetuam a re militari exemtionem, uti liceret. Belgis liberum cum patriâ commercium competeret, quod tamen quia legi navali (acte van navigatie) omnino repugnaret, illis paulo post interdictum fuit. Traditionem urbis *Nieuw-Amsterdam* (cui tum nomen *New-*

York datum est) mox secuta est, arcis *Albany* omniumque reliquarum (traditio), et Angliae imperium circa anni 1664, finem in omnibus regionis Novi Belgii partibus agnitum est. (1).

Ordines Generales interea imperio Anglico querebantur propter jus gentium eo modo violatum (2); Anglia vero omnium se ignaram esse dicebat, addiditque, haec non ad se sed ad societatem Africanam pertinere. Iis autem dicendis indicare voluit, unamquamque societatem se ipsam defendere debere, et Rempublicam ad quam pertineret, nullum interveniendi jus habere. Postea pace Bredanâ constitutum est, ut unusquisque retineret quod eo tempore haberet, sive ut vulgo dicitur obtineret partum *uti possidetis*, inde Angli remanserunt domini Novi Belgii, nos coloniae Surinamensis.

---

(1) Cf. ad GRAH. op. l. p. 223.

(2) GRAHAME licet Anglus, tamen de hac re hanc sententiam fert »Thus by an act of the most flagrant injustice and tyrannical usurpation, was overthrown the Dutch dominion in America, after it had subsisted for more than hundred years" etc. Cf. op. l. p. 223.

TANTUM.

THESES.

I.

Non valet transactio de testamenti lite non inspectis testamenti tabulis.

II.

Periculum rei venditae et nondum traditae pertinet ad emtorem.

III.

Art. 64 Cod. Poen. etiam *ebrietatis* mihi casum continere videtur.

IV.

Licet jus poenale juris naturae principiis non conveniens sit, tamen illud in civili hominum statu omnino necesse esse opinor.

THESES

V.

Poenae qualificatae non crudelitatis sed justitiae sunt indicia.

VI.

Repentina in puniendi ratione subversio ideo periculosa quoniam maxima poenarum vis in eo, quod homines illas a tenera aetate metuere doceantur.

VII.

Recte BECCARIA, *Traité des délits et des peines* § 20 »Le meilleur frein du crime, n'est pas la sevérité de la peine, mais la certitude d'être puni."

VIII.

Constanti populorum prosperitati melius consulit eorum industria et labor, quam soli fertilitas.

IX.

Coloniarum administrationis propositum, non tantum metropolis, sed et ipsarum felicitas esse debet.

X.

In coloniis omni ardore niti debemus, non ut exstinguamus et ut opprimamus, sed ut eos humaniores et labori magis deditos reddamus.

XI.

Non assentimur GRAHAMO quum in opere *the history of North. America* book V cap. 188 dicit, Belgarum dominium Novi Belgii magis consentaneum fuisse aequitati naturali quam juri gentium, quod regionum dominium primo detegenti concedit.

XII.

Novum Belgium eodem jure Belgarum haberi potest fuisse colonia, ac Virginia Anglorum.

LIBRARY OF CONGRESS
0 014 114 066 8